



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XVI. a Idem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

pœnitentes detruderentur in monasteriis, & ibi mutarent habitum, non erat alius, nisi ipsius religionis, profusque similis vesti monachorum, apud quos recludebantur. Fuit hæc autem forma apud Hispanos tam antiqua, ut in Barcinonensi Concilio anno 540. celebrato præscribitur: *Ut pœnitentes raso capite, habitu religionis amitti, omne tempus vite sue jejuniis, atque obsecrationibus impendant.* Et in Concilio Toletano IV. expressè præscribitur in hæc verba: *Quicumque ex secularibus accipientes pœnitentiam totoderunt se, & rursus prævaricantes, laici effecti sunt, comprehensi ab Episcopo suo ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quod si aliqui per pœnitentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertuntur, ut veteres apostata coram Ecclesia anathematis sententia condemnentur.* Et in 6. Tolet. Synodo, can. 7. ita statuitur: *Ut hi, qui sub religioso habitu pœnitentia professi pro venia peccatorum ad manum sacerdotis adducti, si post hæc, vel aut comam nutrientes, vel vestimenta secularia sumentes, ad id, quod reliquerant, redierint, ab Episcopo civitatis comprehensi rursus legibus pœnitentia in monasteriis subdantur inivit.* Inde conjectantur Yepes, & Hæphtenus ubi supra, pœnitentes hæresi abjurata detruos fuisset in monasteria Divi Benedicti, & detulisse scapulare ipsius Ordinis eo modo, quo Equites olim Militarium Ordinum sub regula D. Benedicti degentes deferebant scapulare parvum, quod vulgò dicebatur *Sanbeniullo*, ut probat Hæphtenus ubi supra. Unde licet postea rei ipsi detrudi cœpissent in carceribus sanctæ Inquisitionis, ad pœnitentiam peragendam, tamen habitus ipse pœnitentialis vestis nomen retinuit, & ita à pristina detrusione in monasteriis sancti Benedicti, vulgò *Sanbeni*, appellatur. Alia de ipsius vocis ratione congescit Paramus de offic. *Inquisit. lib. 1. cap. 5. tit. 2.*

De coloribus & forma capitis habitus.

rubei coloris: cuius coloris rationem ex eo assignavit Hurtado tom. 2. de *residencia, resol. 7. subsect. 3. num. 68.* quia croceus color flammeus dicitur, ut ex Cypriano, Tertul. & Martiali probat. Unde habitus iste crocei coloris est cum crucibus rubeis, ut illum deferentes semper præ oculis habeant, per sanguinem Jesu Christi rubeo colore designatum, à gehennæ incendiis, & flammis inferni croceo colore designatis, liberatos fuisse; & quod si ad vomitum sicut canes, & ad volutabra fœtida hæreticos, sicut sues revertuntur, igni tradendi sunt: unde relapsi ipsi cum ultimo supplicio traduntur, sacco induto incedunt, cum flammis in ipso depictis. Quæ ratio myltica profectò est, nam moralis ex alio capite, & facilioti provenit, videlicet, ut ita facilius cognoscantur ita pœnitentes, ut majori rubore suffusi, humiliantur. Quarunt adhuc Paramus, & Hurtado ubi proxime, quare crux in ipso habitu rubeo colore intexta non ponitur juxta formam crucis in qua Dominus noster passus, & mortuus est, sed potius est crux decussata, ad modum illius, in qua D. Andreas martyrio coronatus fuit. Et omittis rationibus ab ipsis assignatis, eam veriolem credo, quod cum ipsi pœnitentes aliquando ad irrisionem uterentur his crucibus, quas semper in ipso habitu gestabant, placuit, ut crux decussata deinceps apponeretur, nec sine ratione; nam cum ipsi plerumque negent Christi Domini nostri adventum, & passionem, quem fidei articulum, cum Symbolum fidei ab Apostolis dictaretur, pronunciauit S. Andreas, ut constat *ex l. 1. tit. 4. part. 1. ibi: San Andres dijo que recibio passion en poder de Poncio Pilato: è fue crucificado, muerto & so terrado.* Inde, ut habitu ipso fateantur se negasse, quod sanctus Andreas ut fidei articulum prædicavit, ipsius Apostoli crucein decussatam deferunt. *Credentes.* Vericulum hunc exposui supra in *cap. excommunicamus, §. credentes.*

CAPUT XVI.

^a Idem.

Abolutose b noverint à debito c fidelitatis, d hominii, & totius obsequii, quicumque lapsis e manifestè in hæresim f aliquo pacto, quacunque firmitate vallato, tenebantur adstricti.

NOTÆ.

^a *[Dem.]* Gregorius videlicet IX. qui præsentem constitutionem contra hæreticos motu proprio fecit à nemine consultus.

^b *Se noverint.*] Ipso jure videlicet, nam licet ad tollendam aliquam obligationem juramento, vel non firmatam, sententia absolutoria requiratur, *cap. quamquam, de censibus, lib. 6. Clement. 1. de hæreticis, Clem. 2. de hæret. c. cum desideres 15. c. à nobis 28. cap. quamvis 58. de sent. excom. cap. ad aures 24. de simonia, probant Suarez de censur. disput. 7. sect. 1. Balboa in cap. 1. de judiciis, num. 62. tamen in præfenti casu vassalli hæreticorum ipso jure liberantur à fidelitate illis promissa, propter atrocitatem criminis, ob quam ipso jure à tem-*

D.D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.*

pore lapsus privantur omnibus bonis antea obtentis, ut probavi supra in *cap. vergentis*; & ita privantur ipso jure fidelitate à vassallis sibi promissa. Nec contrarium probant textus in *cap. vergentis, cap. excommunicamus, el. §. moventur, hoc tit.* ubi ut subditi liberentur à fidelitate Domini promissa, desideratur sententia. Nam omisâ solutione repentium in præfenti, qui asseruerunt, textus illos procedere de jure antiquo, in præfenti verò Gregorium novum jus statuere, dicendum est, Innocentium in dictis juribus procedere in diverso casu; ibi enim Principes ipsi, & Potestates sæculares non fuerant in hæresim lapsi, sed tantum ignavi, ac negligentes in compescendis hæreticis; unde cum non ita graviter peccarent ac ipsi hæretici, non ita severius

T

severius

severius puniuntur. Docuerunt Castro *lib. 2. de justa heretic. punit. cap. 6. Simancas de Catholic. tit. 46.*

2. *c. Fidelitatis.*] Promissa per vassallos etiam Imperatori, Regi, vel supremo Principi; nam Pontificem posse subditos Principum, & supremorum Monachorum absolvere, illisque iuramentum fidelitatis relaxare, probavi in *cap. licet, de voto, & exemplis illustrat Josephus Stephanus Valentin. in opusculo de potestate coactiva Romani Pontificis, cap. 12. numer. 17.* facit Innocentius III. *lib. 1. epist. 18.* Hinc inferunt antiquiores, depositarium non teneri reddere rem depositam domino in hæresim lapsa: quod verum credo, non quia depositarius possit retinere rem ipsam depositam; sed quia cum ministerio legis ejus dominium fisco quaesitum sit, depositarius tenetur fisco rem tradere, *ex l. bona fides, ff. de positi, l. 6. tit. 6. p. 4.* docent Baldus in *rubric. C. Depositi, Molina lib. 2. de justit. disput. 526. Azor p. 1. instit. lib. 7. cap. 8. quest. 4. Lessius lib. 2. de just. cap. 27. dub. 1. 4. Et obar de viroque foro, art. 4. de effectu mentis legis.*

3. *d. Homini.*] In aliquibus codicibus legi, *dominii*, jam notarunt Hostiensis, Zabarella, Burtiique in *presenti*: sed rectius retineo *hominii*, quia in presenti tantum agit Gregorius de his qui promiserant Dominis suis fidelitatem, vel obsequium; qui plerumque facere solent hominum, seu homagium, ut probavi in *cap. ex diligenti, de simonia*: sed retento verbo *dominii*, inferunt recte ex hoc textu Doctores, filios liberari à vinculis patriæ potestatis eorum parente in hæresim lapsa: quod & statutum legimus in *cap. quicumque, §. illorum, hoc tit. in 6.* juxta vulgarem litteram, etsi ea verba non reperiantur in ipsa constitutione Alex. IV. quæ extat apud Pennam in calce Directorii Cherub *tom. 2. bullar. fol. 128. Simancas de Catholic. cap. 45.* aliis relatis Fermosinus *alleg. 38. num. 46. & alleg. 47. num. 11.* ex ea ratione, quia prohibenda est cohabitatio cum parentibus hæresi infectis, quia facile filii eorum errores sequentur ob assiduam conversationem, juxta illud Juvenalis *satyr. 14.*

*Sic natura jubet, velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica magis.
D. Hieronymus epist. 15. ad Latam, ibi: Nihil in te videat filia, quod sis fecerit, peccat: memento te vos parentes virginis, eamque magis exemplis doceri posse, quam voce. Plinius in paneg. ad Trajanum, ibi: Non tam imperio illi opus est, quam exemplo. Plura Aeneas Robertus lib. 1. rer. judic. cap. 2. Simanc. de primog. lib. 1. cap. 11, unde si in Judaicam superstitionem parentes prolabantur, facile filii eandem discunt, ut satis expressit Juvenalis satyr. 14.*

*Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nihil præter nubes, & cæli numen adorant;
Nec distare putant humanâ carne suillam,
Quâ pater abstinuit: mox & præputia ponunt.
Romanas autem soliti contemnere leges,
Judæicum ediscunt, & servant ac metunt jus,
Tradidit arcana quodcumque volumine Moses,
Ex eodem etiam verbo domini deducunt Azor *part. 1. instit. lib. 8. cap. 12. Penna p. 2. direct. quest. 119. commentar. 168. Farinac. de hæresi quest. 197. §. 3. num. 30. Molina tom. 1. de justitia, disp. 40. Decianus lib. 5. tract. crimin. cap. 44. num. 28. Simancas de Catholic. tit. 47. num. 74. & tit. 61. num. 8. F. Alfons. de Castro lib. 2. de justa heretic. punit. cap. 7. Castropalao tom. 1. oper. moral. alleg. 47.**

num. 12. servos ob dominorum hæresim eripi in libertatem, qui etiam moventur auctoritate textus in l. Manichæos, Cod. hoc titulo, in illis verbis: Servos extra noxam esse volumus, si dominum sacrilegium evitantes, ad Ecclesiam Catholicam servitio fideliori transferint. Quibus auctoritatibus moti docent, servos hæreticorum proclamare posse ad libertatem, quia Domini propter hæresim, in quam lapsi sunt, eorum dominium amiserunt. Sed contrariam sententiam, videlicet servos propter Dominorum lapsum in hæresim ad libertatem non pervenire, sed eos ad fiscum spectare cum cæteris bonis, tenuerunt Joannes Andreas, Francus, & Geminianus in *cap. quicumque, §. final. hoc tit. lib. 6.* Ananias, & Marianus Socinus in *presenti*: quorum sententia probatur ex eo, nam bona hæretici ad fiscum pertinent, ut probavi *supra in cap. vergentis*: sed servi in bonis sunt, *l. Paulus, §. penult. ff. de pignor. leg. final. §. final. Cod. de P. S. l. rem in bonis, ff. de acquir. rer. domini. plura Tiraquel. in l. si unquam, vers. donatione largitus, qual. 17. num. 323. Cod. de revoc. donat.* Igitur servi illi ad fiscum spectant. Deinde nam confiscatio hæc bonorum hæreticorum statuta est ad instar confiscationis, quæ fit ob crimen læsæ Majestatis humanæ, *cap. vergentis, ubi notavi, hoc tit.* sed in ea confiscatione servi non assequuntur libertatem, sed ad fiscum spectant, *l. Imperator 12. ff. de fideicommissi libert. ergo similiter in hoc crimine læsæ Majestatis servi ad fiscum spectant.* Tandem quia nulla est juris dispositio, cujus ratione servi hæreticorum sine manumissione ad libertatem pervenire possint; non præsens textus, qui juxta veram ejus litteram tantum agit de illis, qui parebant hæreticis ratione fidelitatis, obsequii, seu hominii: quæ jura cum personalia sint, nec ad extraneam personam transire possunt, ideo nec ad fiscum spectare valent. Non textus in *d. l. 4. Cod. hoc tit.* qui procedit in casu speciali, cum videlicet servus ad fidem catholicam convertitur, Domino manente in ipsa perfidia hæreticali. Unde cum non addit ulla juris constitutio, quæ libertas concedatur servis hæreticorum, non est cur asseramus, eos proclamare posse ad libertatem in fisci præjudicium: quare hanc sententiam veriorum credo, etsi juxta pietatem, quæ in tribunalibus sanctæ Inquisitionis servatur, sæpe sæpius contrarium de eisum sit in supremo Inquisitionis Senatu, ut refert Fermosinus *d. alleg. 47. videnti sunt Machado lib. 6. summe, cap. 7. tract. 13. docum. 9. Sanchez lib. 2. sum. cap. 24. numer. 10. Castropalao tom. 1. oper. moral. tract. 4. disp. 5. punct. 26. Diana p. 7. tract. 7. resol. 17. Bordon. de mater. trib. cap. 17. de pen. n. 106.*

4. *c. Manifeste.*] Unde deducitur, præsentem constitutionem non procedere si hæretici occulti sint, quia expressè exigit Gregorius hæresim manifestam, ut docuerunt Penna *3. p. Direct. quest. 119. comment. 468. Farinacius de hæresi, questio. 189. numer. 65. Fermosinus allegat. 47. num. 1.*

5. *f. Aliquo pacto.*] Hinc omnes obligationes activæ à die commissi criminis fisco acquiruntur, nec postea hæreticus valet debitor esse ipsos convenire. Fermosinus *d. alleg. 47.*

COMMENTARIUM.

6. Conclu-
sio tra-
ditur &
proba-
tur.

EX hac Gregorii constitutione sequens com-
muniter deducitur assertio: *Liberantur ab
omni obligatione, qui hæreticis tenebantur obstricti.*
Probant eam textus in cap. aliud, juncto præeius
historia Hothom. in *Franco-Gal. cap. 13. cap. nos
Sanctorum, cap. juratos 15. q. 6. cap. final. de pœnis.
cap. venerabili, de elect. cap. quicumque, §. 1. hoc
tit. lib. 6.* Faciunt textus in cap. de illa, cap. quanto,
de divor. cap. final. de convers. conjug. l. 32. tit. 9.
part. 1. Illustrant ultra congestos à Bardosa in præ-
senti, Bellatminus in apolog. contra Regem Anglia,
fol. 317. Suarez de fide lib. 3. cap. 23. num. 22. So-
lorzanus tom. 1. de jure Ind. lib. 3. cap. 5. num. 22.
Thomas Delbene de offic. Inquisit. cap. 1. dubit. 151.
cum duabus sequent. Petrus Gregor. lib. 2. partit.
tit. 6. cap. 5. Gutierrez de delict. cap. 37. & 38. &
lib. 1. canonic. cap. 1. num. 18. Sanchez lib. 2. sum-
ma, cap. 24. num. 5. Fermosinus allegat. 47. num.
25. Caltopalao tom. 1. oper. moral. tract. 4. disp. 5.
punct. 16. Simancas de cathol. tit. 49.

7. Impug-
natur
tradita
assertio.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem asser-
tionem ita insurgo: fidem promissam omnino
servandam esse, omnia jura proclamant, *h. bona
fides, ff. de positi, l. au Prætor, ff. de pactis, cap. is
qui fidem, de sponsalibus, cap. 1. de pactis, ubi pro-
bavi, etiam hostibus, seu aliis, etiam eam non
adimplentibus, cap. noli 23. quest. 1. l. 1. §. non fuit,
ff. de dolo, cap. 1. ubi illustravi, de tregua & pace:*
igitur qui fidem præstiterunt, fidelitatemque, &
obsequium Principibus promiserunt, tenentur
etiam post eorum lapsum eam adimplere. Accedit,
nam si fidei promissio juramento firmata est,
servari debet superiori, etiam tyranno, cap. 17.
Ezechielis, vers. 16. ibi: *Vivo ego, dicit Dominus,
quoniam in loco Regis, qui constituit eum Regem,
cujus fecit irritum juramentum, & solvit pactum,
quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.*
Et vers. 19. *Quoniam juramentum, quod prævit,
& fœdus, quod prævaricatus est, ponam in caput
ejus.* Concil. Tolet. 4. can. 75. *Sacrilegium quippe
est, si violatur gentibus rerum suarum promissa fi-
des; quia non solum in ea sit pacti transgressio, sed &
in Deum quidem, in cuius nomine pollicetur ipsa
promissio.* Tolet. 7. can. 1. Tolet. 8. can. 2. Tolet. 10.
can. 2. cap. si quis laicus 19. 22. quest. 5. probat, &
eruditè, ut solet, illustrat D. Franc. Ramos in
memor. pro Episcop. Lusit. in prin. numer. 103.
& 114. Igitur si in præsentem casu fidei promissio
juramento firmata fuerat, etiam hæreticis servan-
da erat. Augetur secundò hæc difficultas ex eo,
nam sæpius legimus infidelibus, & apostatis,
etiam pios, & catholicos viros obsequium, &
subjectionem præstitisse, ut fecerunt Joseph Pha-
raoni, Daniel Nabuchodonosori, Mardocheus
Assuero, & milites Catholici, qui serviebant Ju-
liano Apostata, à quo cum jubebantur aciem mo-
vere pro defensione Reipublicæ, illi statim pare-
bant, cum autem illis imperabat arma movere in
Christianos, tantum Dei Imperatorem cœli &
terre agnoscebant, ut refertur in cap. Julianus 11.
quest. 3. ex Socrate, Sozomene, & Nicephore re-
fert Covar. lib. 4. var. cap. 12. per rotum. Ergo quia
per apostasiam, seu hæresim superioris non eximuntur
ejus subditi ab obsequio, & fidelitate illis
promissis. Secundò difficilior redditur præsens
constitutio ex sententia eorum, qui eximantur,
Summum Pontificem nullum profus habere re-
rum temporalium dominium, aut potestatem, sive

directè, sive indirectè, sive absolutè, sive re-
spectivè ad bonum spirituale: quam docuerunt &
probarunt Guillelmus Occanus, I. Parisensis,
Dantes, & alii relati ab Azorio tom. 2. instit. lib.
4. cap. 9. quest. 3. Jacob. Salmains in tract. de su-
prem. potest. laica, quest. 3. I. Major in 4. dist. 24. q.
3. conclus. 3. Albericus in dictionar. verbo Electio: &
fused probat Rogerus Widringtonus in apolog. pro
jure Principum. Igitur in præsentem Gregorius non
poterat statuere pœnam privationis homagii, seu
dominii temporalis contra Principes, vel nobiles
laicos; unde sub lite esse auctoritatem hujus con-
stitutionis, & cuilibet tutum esse credere quod
velit, docuit Michael Roussel. lib. 3. bist. Pontif.
jurisd. cap. 3. num. 8.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus, ve-
ra est præsens Gregorii constitutio, cujus ratio
ex eo provenit, quia si fidem humanam fragen-
ti fides non est servanda, l. 4. Cod. de pactis, cap.
infidelis, & servè per rotam 28. quest. 2. cap. sicut 29.
§. juramentum, de jurejur. probant Menoch. de
arbitr. casu 326. num. 26. Fachineus lib. 9. contro-
v. cap. 48. multò majori ratione violanti fidem cath-
olicam, hoc est hæretico, fides servanda non est. Ac-
cedit, nam si subditi & Vassalli parerent Principi
hæretico, hoc vergeret in magnam fidei corruptio-
nem, cum facile subditos ad suos errores traheret,
juxta illud Proverb. cap. 6. *Homo apostata in corde
suo machinatur malum, & jurgia seminat, inten-
dens homines separari à fide.* Siquidem peccato,
quo Dominus laborat, protinus subditi inficiuntur,
cap. cum quidam, de jurejur. cap. postora-
lis 7. q. 7. cap. præcipuè 11. q. 3. D. Bernardus epist.
127. *Si quis de populo deviat, solus perit; verum
Principis error multos involvit, & rantis obest, quan-
tis præest.* Cicero lib. 3. de legibus, ibi: *Nec tantum
malis est peccare Principis, quantum illud, quod per-
multi etiam imitatores Principum existunt.* Unde
cap. 10. Ecclesiasticus legitur: *Secundum iudicem populi,
sic & ministri ejus; & qualis est Rector civitatis,
tales inhabitantes in ea.* Faciunt Claudianus lib.
1. de laudibus Stilicis, ibi:

Scilicet in vulgus manent exempla Regentum,
Uque ducunt lituos, sic mores castra sequuntur.

Et alibi:

--- Totus componitur orbis

Regis ad exemplum.

Et mox apud eum.

--- Nec sic inflectere sensus.

Humanos edita valent, quam vita Regentis:

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Cicero lib. 3. de legibus, ibi: *Ut enim cupiditatibus
Principum, & vitis inficit tota civitas, sic
emendari, & corrigi continentia.* Latè illustrant
Petrus Gregor. lib. 6. de repub. cap. 18. Solorzanus
embl. 13. & qui præest Christianis, debet esse
Catholicus, & membrum utile corporis mystici
fidelium, ut probant Michel Ulearnus in tract.
de regim. mundi, 2. quest. princip. num. 82. Solorz.
tom. 1. de jure Indiar. lib. 3. cap. 6. numer. 19. Rectè
ergo in præsentem statuit Gregorius, ob hæresim
manifestam superioris, ejus subditos & vassallos
eximi à fidelitate promissâ, ne eorum assiduâ
conversacione in similem etiam incidant erro-
rem; & similiter ut rubore suffusi Principes, &
superiores terreatur, & ab hoc gravissimo cri-
mine perpetrando arceantur; unde serpente in
Gallia fœdâ Albigensum heresi, lapso Ray-
mundo Comite Tolosano, bonâ damnatorum
confiscata fuerunt, vassallicque à fidelitate

8. Tradi-
tur ra-
tio deci-
dendi.

T 2

abso-

absoluti, concessâ Catholicis facultate occupanditiones ipsius Comitis, ut refert Guillel. Brito lib. 8. Philip.

*Rex & Papa simul exponunt omnibus illum,
Erez, & patriam totam, que spectat ad illum,
Vt qui prevaleat armis, & viribus illi
Tollere quid, proprios locos convertat in usus,
Et Dominus fiat rerum, quas auferat illi.*

9.
Dissol-
vuntur
difficul-
tates.

Nec obstat prima difficultas supra adducta, nam in generali promissione fidei, & obsequii facta superiori, excepta creditur religionis causa, argumento legis ultimæ .ff. de in jus vocando: quia in omni promissione, & iurejurando creditur semper supremi Principis auctoritas reservata, & cultus divini ratio, ut probat Albertic. Gentil lib. 1. de jure belli, cap. 11. undelicet ob fidei promissionem juramento firmatam teneantur vassilli parere Principi etiam tyrannicè dominantem, tamen si ipse in hæresim lapsus sit, non tenentur illi obedire, ex ratione supra adducta, ne videlicet assidua communicatione facilè in ipsius errores prolabantur. Nec obstat quod expendebamus ex cap. Iulianus 11. q. 4. nam cum temporibus illis Imperatoris Ecclesia plenâ non frueretur libertate, & pace, non poterat subditos ipsius Imperatoris ab ejus obedientia absolvere, & ita Catholici in apostatæ exercitu militiæ nomen dabant, quod toleravit Ecclesia, cum adhuc non haberet plenam potestatem compescendi Principes temporales, ut docuit D. Thomas 2. 2. quest. 12. art. 2. qui etiam respondit exemplis Josephi & Danielis, asserendo ea procedere in Gentilibus, non verò in hæreticis. Quando autem infideles, & Judæi eo tantum, quod tales sint, privari possint dominio, & juribus, quæ habent in Catholicos, expolui in cap. 1. de Indeis. Nec obstat secunda difficultas, nam verius est, Pontificem, Vicarium Christi, Pastorem omnium Christianorum, omnes Christianos posse corrigere, & punire, etiam pœnis temporalibus, virtute potestatis temporalis, quam indirectè & respectivè ad bonum spirituale habet, ut fecit in casibus relatis in cap. ubi periculum, de elect. in 6. cap. 1. de homicid. eod. lib. cap. excommunicamus, §. moveatur, hoc tit. Clement. de summa T. inii. Concil. Constant. sess. 8. & 17. Lateran. sub Leone X. sess. 11. probat ex variis sanctorum Patrum testimoniis Josephus Steph. Valent. integro lib. de potestate coactiva R. P.

Unde ob hæresim Principis secularis rectè privatur ipso dominio directo, aut utili rerum suarum. Facit Nicephor. Calixt. lib. 13. histor. cap. 30. quem expendit Steph. Valent. ubi supra, ad finem libri, qui etiam pro adstruenda hac potestate adducit textus in cap. de calum. cap. qualiter, de accusacionibus, & alios: & immeritò Rouffel de hac potestate Ecclesiæ dubitat; quare hanc illius audaciam demirari satis non possum; quamquam enim toto opere hic auctor satis prodat quâ mente ad scripturam animum appulerit, sitque innumeris locis erga Summos Pontifices (ut micillimè dicam) irreverentissimus, & perpetuus admorsor, nedum allatrator eorum, quæ à Pontificibus sine constituta, tamen hoc loco nimiam audaciam suam explicuit.

Supra traditæ assertioni obstat textus in cap. de illa, de divortio, ubi agitur de quadam uxore, quæ à viro suo in hæresim ipso discessit, forsitan eam intentione, ut maritus cædendo pariter, & confusione affectus, ad rectam sententiam rediret; & dicitur an eo pœnitente, & reverso ad fidem catholicam, cogenda esset illum recipere, vel non? Et sub distinctione responderet Pontifex, videlicet, quod si iudicio Ecclesiæ separata est uxor à consortio viri, non cogatur ipsam etiam pœnitentem recipere: si verò propria auctoritate discessit, cogatur cum eo habitare. Quem textum ita expendo: En ubi ob hæresim mariti uxor ipso jure non eximitur ab obsequio viro debito. Igitur quia ob hæresim superioris ejus subditi non eximuntur à fidelitate, seu obsequio. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, verum esse ob hæresim mariti divortium fieri, cap. final. de convers. conjug. cap. 2. cap. quanto, de divort. probavi in d. cap. de illa, eod. tit. Sicut etiam ob adulterium corporale divortium fit, cap. significasti, de divort. ubi probavi: non tamen ideo licet propria auctoritate coniugi conjugem hæreticum deserere, cum iudicio Ecclesiæ tantum divortium quoad thorum fieri possit: & ita si propria auctoritate discedat, quia illegitimè, & non servato juris ordine conjugem deserit, cogitur ad eum redire, quia ob vinculum sacramenti non licet coniugi propria auctoritate conjugem hæreticum deserere.


Etiam exponendus est textus in cap. inter alia, de sentent. excommunicat. juncto ejus commentatio.

TITULUS VIII.

De schismaticis, & ordinatis ab eis, & alienationibus factis.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concil. a Lateran.

uod à prædecessore nostro felicitis memoriæ Papa b Innocentio factum est, innovantes, ordinationes ab Octaviano & Guidone hæresiarum, nec non & Joanne c Strumenfi, qui eos sequutus est, factas, & ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus, adjicientes etiam, ut qui dignitates ecclesiasticas, seu beneficia per prædi-